Constantium missa, quae exstat, „Crux permagna e luce constructa in coelo super sanctum Golgotham et usque ad sanctum olivarum montem expansa apparuit, non uni et alteri tantum conspecta, sed universae civitatis multitudini evidentissime ostensa; neque, ut aliquis forsitan putaverit, celeriter in imagine praetervolans, sed compluribus horis super terram oculorum visu spectata et coruscantibus fulgoribus solares radios superans."

8. Sed ut ad ipsum Cyrillum revertar, rursus Valente imperatore expulsus, Arianis, Apollinaristis, Pneumatomachis turbas cientibus in illa regione, mortuo demum illo ad sedem suam redire potuit, ex quo tempore usque ad mortem, ut ait Hieronymus (catal. c. 122.), inconcussum episcopatum tenuit, et contigit ei, ut Concilium generale Constantinopolitanum in synodicis litteris egregium ei testimonium redderet hisce verbis: Hierosolymitanae omnium ecclesiarum matris reverendissimum ac Deo dilectissimum Cyrillum episcopum esse, olim ab episcopis provinciae secundum canonum rescripta ordinatum multaque in variis locis contra Arianos certamina expertum.

Mortuus est septuaginta fere annos natus c. a. 386.

II.

De s. Cyrilli catechesibus.

9. Verbum κατηχεῖν, unde est catechesis, apud veteres scriptores haud ita saepe legitur. Apud eos autem, qui non multo ante Christum natum et postea graece scripserunt, frequentior eius est usus. In christianorum vero scriptis inde ab ipsis N. T. libris idem vocabulum quaeque ab eo sunt derivata et saepissime occurrunt et singulari valent potestate. Atque in N. T. quidem quatuor locis idem fere hoc nomen valet ac christiana vel ea quae est de Christo instituere doctrina: Luc. 1, 4; id. Act. 18, 25; 1. Cor. 14, 19; Gal. 6, 6. Quinto loco Rom. 2, 18 idem simili plane ratione ad doctrinam Mosaicam accommodatum est. De sexto, qui unus reliquus est, Act. 21, 21 dicetur infra. Jam ab iis qui secuti sunt ecclesiasticis scriptoribus ita huic verbo videmus civitatem esse datam, ut propria in illa quam dixi re valere videatur potestate. Neque vero de institutione, quae fit viva voce, ut aiunt, usurpatur. Eusebius enim h. e. 4, 25 Dionysii Corinthiorum episcopi epistolam ad Lacedaemonios missam dicit ὀρθοδοξίας κατηχητικήν, quae eadem est Nicephoro 4, 5 κατήχησιν περιέχουσα ὀρθοδοξίας.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Atqui mira videri debet unicuique haec singularis vocabuli significatio a nativa tam aliena. Nam quod dicunt, ab insonandi notione, quae est eius propria, illam facile duci, qua quid magister dicatur ita decantare discipulo, ut memoria possit tenere, hoc certe nihili est. Atque equidem quum diu me illa res perplexum tenuisset, certam hanc mihi viam visus sum expediendi esse nactus.

Ac primum quidem vetustissimorum qui graece scripserunt ecclesiae Patrum libros legentem non facile credo quemquam praeteriisse, solere illos quum res christianas cum aliqua arcana disciplina imprimisque Pythagoreorum vel mysteriis conferre, tum haud exiguum numerum vocum, quas scimus in illis consuevisse usurpari, in suam rem transferre. Et maxime quidem dum vigebat in ipsa ecclesia arcana illa, quae dicitur, disciplina, qua cautum erat quaedam magis recondita ne in vulgus emanarent, illud factum esse videmus, quo nihil potuit aut fieri prudentius aut ad rem esse accommodatius. Itaque Origenes quidem (c. Cels. 1, 7), quum Celsus dixisset occultum dogma (κρύφιον τὸ δόγμα), primum Christianorum doctrinam toto paene orbe ait magis notam esse quam philosophorum placita, deinde vero, quod sint quaedam velut post exoterica, quae ad vulgus non perveniant,[1]) non esse id christianorum proprium, sed etiam philosophorum, apud quos fuerint quaedam exoterica, alia esoterica; et alios auscultantes Pythagorae ut ipse dixisset, alios secreto qui edocerentur non digna quae ad aures pervenirent profanas necdum purgatas. Atque etiam omnia quae sint ubique mysteria et Graecorum et barbarorum non male quod occulta sint audire. Idem (ibid. 3, 59), si qui ad meliorem vitam invitati ostenderint doctrina se purgatos sanctiusque vixisse: τοτηνικάδε, inquit, καλοῦμεν ἐπὶ τὰς παρ' ἡμῖν τελετάς; et paulo infra (c. 60): ὅστις ἁγνὸς οὐ μόνον ἀπὸ παντὸς μύσους, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐλαττόνων εἶναι νομιζομένων ἁμαρτημάτων, θαῤῥῶν μυείσθω τὰ μόνοις ἁγίοις καὶ καθαροῖς εὐλόγως παραδιδόμενα μυστήρια τῆς κατὰ Ἰησοῦν θεοσεβείας.

Hinc igitur praeter multa alia nomina etiam hoc ipsum de quo quaerimus κατηχεῖν repetendum esse existimo. Quod ut doceam, primum utor Eusebio teste. Is enim (vit. Const. 1, 32.) Constantinum refert viso illo mirabili in coelo crucis signo obstupefactum, quum nullum alium praeter illum quem viderat Deum sibi colendum esse statuisset, τοὺς τῶν αὐτοῦ λόγων μύστας ad se arcessivisse et quisnam ille Deus esset interrogavisse quaeque signi a se visi ratio. Quibus explicatis il-

---

[1]) Cf. 3, 37, ubi repudiaturi esse dicuntur τινὲς μὲν, διὰ τὴν πολλὴν ἁπλότητα, μὴ εἰδότες μὲν δοῦναι λόγον περὶ ὧν ποιοῦσιν, εὐγνωμόνως δὲ τηροῦντες ἃ παρειλήφασιν · ἕτεροι δὲ μετ' οὐκ εὐκαταφρονήτων λόγων, ἀλλὰ καὶ βαθυτέρων, καὶ (ὡς ἂν εἴποι τις Ἕλλην) ἐσωτερικῶν καὶ ἐποπτικῶν κτλ. Et 3, 21: Ἀλλ' αὐτάρκη καὶ ταῦτα πρὸς τὴν ἀφιλόσοφον χλεύην τοῦ Κέλσου, ὁμοιοῦντος τὰ ἔνδον καὶ μυστικὰ τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ τοῖς Αἰγυπτίων αἰλούροις, ἢ πιθήκοις, ἢ κροκοδείλοις, ἢ τράγοις, ἢ κυσίν.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lum divinorum librorum lectioni vacare instituisse. Quae omnia brevi comprehendens Eusebius hunc fecit titulum: ὅπως κατηχηθείς Κωνσταντῖνος τὰς θείας γραφὰς ἀνεγίνωσκεν. Κατηχηθείς igitur dicitur a mystis institutus de rebus, quae vulgo ignorantur. Ac ne quis forte obiiciat, quae in his de vita Constantini libris legantur capitum inscriptiones, eas non esse ab ipso Eusebio profectas, primum istud in hac quaestione parum refert, deinde vel is ipse qui negavit Valesius concedit tamen ab aliquo paene aequali esse adscriptas. — Sed est huius rei testis etiam locupletior Origenes, cuius est (c. Cels. 3, 40) hic locus: Εἰ γὰρ καὶ ἡ διατροφὴ δεδύνηται, πολλῆς αὐτῇ κατηχήσεως συναγορευούσης, τοῖς πολλοῖς ἐμφυτεῦσαι τὸν περὶ ἀγαλμάτων λόγον ὡς θεῶν, καὶ τὸ περὶ τῶν γενομένων ἐκ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ ἐλέφαντος καὶ λίθου ὡς προσκυνήσεως ἀξίων ᾽ ἀλλ᾽ ἡ κοινὴ ἔννοια ἀπαιτεῖ ἐννοεῖν, ὅτι ὁ θεὸς οὐδαμῶς ἐστιν ὕλη φθαρτή κτλ. Qualis autem „catechesis adstipulans“ vel patrocinans intelligatur, eiusdem docetur alio loco (ibid. 3, 16), ubi quum de terroribus, quibus iniectis Christiani ad se attraherent homines, dixisset Celsus, repulsa criminatione ita pergit Origenes: Ἀλλὰ καὶ ἐπὰν λέγῃ, ὅτι τὰ τοῦ παλαιοῦ λόγου παρακούσματα συμπλάττοντες τούτοις προκαταυλοῦμεν καὶ προκατηχοῦμεν τοὺς ἀνθρώπους, ὡς οἱ τοὺς κορυβαντιζομένους περιβομβοῦντες, φήσομεν πρὸς αὐτὸν · ποίου παλαιοῦ λόγου παρακούσματα κτλ. Fuit igitur proprium κατηχεῖν initiantium sacris, velut corybantium „acuta aera geminantium“ [1]), et ut καταυλεῖν tibiarum cantu, ita illud tympanorum et cymbalorum strepitu circumsonante, ut assolebat in orgiis, alicuius animum commovere quum proprie significaret, facili translatione in duplicem abiit significationem. Valet enim idem fere quod incantare, κατᾴδειν, quocum coniunxit Lucianus in Jov. Tragoed. 39: οὐ γὰρ ἀληθείας μέλει αὐτοῖς (τοῖς ποιηταῖς), οἶμαι, ἀλλὰ τοῦ κηλεῖν τοὺς ἀκούοντας, καὶ διὰ τοῦτο μέτροις τε κατᾴδουσι καὶ μύθοις κατηχοῦσιν. Et simile quid inest in duobus illis Origenis locis supra allatis. Altera autem ab initiatione illa ducta significatio inde nascitur, quod tacita tenebantur eius modi sacra, ut sit κατηχεῖν τινά τι edocere aliquem de aliqua re, quae vulgo ignoratur. Documento sit hic Josephi Flavii locus (Vit. 65): Βασιλεὺς Ἀγρίππας Ἰωσήπῳ τῷ φιλτάτῳ χαίρειν. Ἐξ ὧν ἔγραψας, οὐδὲ μιᾶς ἔοικας χρῄζειν διδασκαλίας ὑπὲρ τοῦ μαθεῖν ἡμᾶς ὅλους ἀρχῆθεν · ὅταν μέντοι συντύχῃς μοι, καὶ αὐτός σε πολλὰ κατηχήσω τῶν ἀγνοουμένων. Neque abhorrere puto locum Act. 21, 21, ubi qui dicuntur ex Judaeis fideles κατηχῆθαι, mihi quidem videntur quasi arcano edocti esse de Pauli ad res Judaicas ratione.

Atque haec quidem huius verbi vis quam apte conveniat N. T. scriptorum rationi, non est quod pluribus dicam, quum illorum vel id proprium munus esset, ut nova doctrina imbuerent homines eiusmodi rerum omnino rudes, atque evangelium

---

[1]) Horat. carm. 1, 16.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ipsum s. Paulo (col. 1, 26) sit „mysterium, quod absconditum fuit a saeculis, et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, (v. 27) quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti (μυστηρίου) huius, quod est Christus, in vobis spes gloriae." Jam vero inde ab eo tempore, quum iam lege et consuetudine sancitum esset, ne quis ad arcana christiana admitteretur nisi diligenti adhibita praeparatione, κατηχούμενοι qui dicebantur per certum temporis spatium spectati et probati demum inter τελείους h. e. perfectos recipiebantur. Et hinc est id quod res me monet ut quasi praeteriens attingam, quod τελείωσις (itidem σφραγίς) non solum baptismi sed etiam confirmationis statim post baptismum collatae significat sacramentum. [1])

10. Sed explorata nominis significatione, catechumenorum quae fuerit conditio videamus. Cui rei imprimis qui lucem afferat idoneus est locus Origenis, qui contra Celsum (3, 51) scribit haec: Οἱ μὲν γὰρ δημοσίᾳ διαλεγόμενοι φιλόσοφοι οὐ φιλοκρινοῦσι τοὺς ἀκούοντας, ἀλλ' ὁ βουλόμενος ἔστηκε καὶ ἀκούει. Χριστιανοὶ δὲ, κατὰ τὸ δυνατὸν αὐτοῖς, προβασανίσαντες τῶν ἀκούειν σφῶν βουλομένων τὰς ψυχὰς, καὶ κατ' ἰδίαν αὐτοῖς προεπάσαντες, ἐπὰν δοκῶσιν αὐτάρκως οἱ ἀκροαταὶ πρὶν εἰς τὸ κοινὸν εἰσελθεῖν ἐπιδεδωκέναι πρὸς τὸ θέλειν καλῶς βιοῦν, τὸ τηνικάδε αὐτοὺς εἰσάγουσιν, ἰδίᾳ μὲν ποιήσαντες τάγμα τῶν ἄρτι ἀρχομένων, καὶ εἰσαγομένων, καὶ οὐδέπω τὸ σύμβολον τοῦ ἀποκεκαθάρθαι ἀνειληφότων · ἕτερον δὲ τὸ τῶν κατὰ τὸ δυνατὸν παραστησάντων ἑαυτῶν τὴν προαίρεσιν, οὐκ ἄλλο τι βούλεσθαι, ἢ τὰ Χριστιανοῖς δοκοῦντα · παρ' οἷς εἰσί τινες τεταγμένοι πρὸς τὸ φιλοπευστεῖν τοὺς βίους καὶ τὰς ἀγωγὰς τῶν προσιόντων, ἵνα τοὺς μὲν τὰ ἐπίῤῥητα πράττοντας ἀποκωλύσωσιν ἥκειν ἐπὶ τὸν κοινὸν αὐτῶν σύλλογον, τοὺς δὲ μὴ τοιούτους ὅλῃ ψυχῇ ἀποδεχόμενοι βελτίους ὁσημέραι κατασκευάζωσιν. [2]) Ex quo loco haec colligimus. Primum facta de animi voluntate examinatione adhibitaque incantatione vel exorcismo, eorum qui

---

[1]) Euseb. Vit. Const. 4, 62: οἱ δὲ (ἐπίσκοποι) τὰ νόμιμα τελειοῦντες θεσμοὺς ἀπεπλήρουν θείους, καὶ τῶν ἀπῤῥήτων μετεδίδοσαν (Eucharistiam sine dubio intelligit), ὅσα χρὴ προσδιαστειλάμενοι · καὶ δὴ μόνος τῶν ἐξ αἰῶνος αὐτοκρατόρων Κωνσταντῖνος Χριστοῦ μαρτυρίοις ἀναγεννώμενος ἐτελειοῦτο. Quae τελείωσις in hominem moribundum ab episcopis collata dubitari nequit, quin etiam confirmationem comprehenderit, ut non solum initiatus sed etiam consummatus sit, quo verbo utitur Cyprianus epist. 73 ad Juban.: Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur et signaculo Dominico consummentur.

[2]) Breviter eundem duplicem ordinem indicare videtur Justinus apol. I, 61: Ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς. Ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν, ἔνθα ὕδωρ ἐστί κτλ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

referebantur in numerum catechumenorum erat duplex ordo, unus eorum, qui „modo incipiebant", qui „referebantur", qui „nondum signum purgationis acceperant"; alter eorum, qui, quantum in eis erat, eam praestiterant voluntatem, ut nihil aliud vellent, quam quod Christianorum ferrent placita. Atque prior quidem ordo quum complecteretur omnes tribus illis nominibus insignitos, videntur tamen ii ipsi suo quique loco distincti fuisse et discreti. Quamquam equidem facile adducor, ut eam differentiam credam ad diversum quo haberentur in sacra synaxi locum pertinuisse maximeque fuisse liturgicam. Alter vero ordo, eorum, qui iidem competentes vel competitores dicebantur, eo maxime differebat a ceteris, quod accepta ab episcopo manus impositione cum solenni precatione sacro crucis signaculo munitus erat. Cuius quae fuerit ratio, exemplo docemur imperatoris Constantini, quem scribit Eusebius (v. C. 4, 61) mortem iam sibi sentientem imminere Henenopoli quum genu flexo humi procumbens veniam a Deo supplex poposcisset, peccata sua confitens in ipso Martyrio, ibidem manuum impositionem cum solenni precatione primum meruisse accipere (ἔνθα δὴ καὶ πρῶτον τῶν διὰ χειροθεσίας εὐχῶν ἠξιοῦτο), atque inde digressum ad suburbana Nicomediae convocatis episcopis denique baptismi exstitisse competitorem. Ad purgationis autem symbolum quod est apud Origenem conferendus est locus s. Augustini, qui de peccator. remiss. 2, 26: Non unius modi, inquit, est sanctificatio. Nam et Catechumenos secundum quendam modum suum per signum crucis et orationem manus impositionis puto sanctificari. — Quod vero addit Origenes, constitutos fuisse qui de catechumenorum vitae ratione moribusque sciscitarentur, omninoque de disciplina eorum qualis fuerit, vix aliunde melius possumus cognoscere, quam ex ipso Cyrillo, cuius ea de re est tota fere, quae est quasi praefatio duodeviginti catechesium ab ipso presbytero ad huius ordinis catechumenos per tempus quadragesimale habitarum, procatechesis. Itaque quod sit eius argumentum paulo accuratius describamus.

11. Monet igitur τοὺς φωτιζομένους — ita enim appellat, qui iamiam baptismum erant recepturi — [1]) ante omnia, ne assimulato rerum Christianarum studio Simonis magi pessimum exemplum imitati velint adesse, ne quis novi visendi cupidus, ut fideles quid faciant cognoscat. Quod si quis parum recta voluntate ingressus sit, satis longum esse intervallum, dierum quadraginta poenitentiam concedi. Atque etiam si forte quis quem demereri cupiens accesserit, vir mulierem, dominum servus, amicus amicum: capere se esca hami accepta malo illos quidem venientes proposito, at spe bona ad salutem perventuros. Deinde Fidelium quanta sit dignitas exponit annominatione usus, quem locum, ut videas, quam recte quae supra disseruimus se habeant, totum exscribo. Βλέπε μοι, inquit, πηλίκην ἀξίαν ὁ Ἰησοῦς

---

[1]) cf. Justin. l. c.: Καλεῖται δὲ τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμός, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

χαρίζεται. Κατηχούμενος ἐλέγου, ἔξωθεν περιηχούμενος · ἀκούων ἐλπίδα, καὶ μὴ εἰδὼς · ἀκούων μυστήρια, καὶ μὴ νοῶν · ἀκούων γραφὰς, καὶ μὴ εἰδὼς τὸ βάθος. Οὐκ ἔτι περιηχῇ, ἀλλ' ἐνηχῇ · τὸ γὰρ ἔνοικον Πνεῦμα λοιπὸν οἴκους θείους τὴν διάνοιάν σου ἐργάζεται. Ὅταν ἀκούσῃς τὰ περὶ τῶν μυστηρίων γεγραμμένα, τότε νοήσεις ἃ μὴ ἤδεις. Jam Fidelis nomine, homo qui sit miserabilis, eum ipsius Dei accipere cognomen; fidelem enim esse Deum. Sed videndum esse, ne fidelis sit cognomen, infidelis propositum. In certamen quum ventum sit, operam esse navandam cursui, praesertim quum non liceat bis aut ter lavacrum suscipere. Et corpore igitur et animo praeparari par esse. Lingua igitur cavendum esse ne proferat verba inverecunda, oculus ne peccet neve vagus circumagatur circa inutilia; pedibus festinandum ad catecheses; exorcismos cum intentione suscipiendos, quibus velut aurum igne anima purgetur. Oculis velamine obductis aures tamen non impediri, quominus ea quae ad salutem adiuvent, recipiant. Perseverandum in catechesibus esse, quibus armis utantur adversus haereses, adversus Judaeos et Samaritas et Gentiles. Et memoriae mandanda esse quae dicantur, et quoniam quasi aedificium quoddam sit catechesis existimanda, ne quid laxum et hians reperiatur, ne qua ruinosa fiat aedificatio, esse curandum. — Inculcat autem, ut, quae doceantur si quis catechumenus quaesierit, ne efferant hi qui sint in confinio; non quod non digna sint quae narrentur, sed quia auditus illius qui percipiat indignus sit. Quodsi experientia cognoverint, quanta sit sublimitas eorum quae doceantur, ipsos esse intellecturos, indignos esse catechumenos qui talia audiant. Evulgatis autem quae sint tacenda, duplex malum esse, et catechumenum velut qui vinum acceperit aegrotans phrenesi laborare, et fidelem condemnari ut proditorem. Postremo quandoquidem unius matris, quicunque inscripti sint, filii et filiae facti sint, qualis debeat esse ante exorcismos conversatio et inter ipsos exorcismos, donec ceteri qui exorcizentur accesserint, virorum et mulierum habitus, ut discretis virorum et mulierum sedibus assidentes legendo, precando, vel boni quid loquendo occupati ecclesia etiam clausa omnes honestati pietatique studeant, praeceptis datis: uniuscuiusque studii religiosaeque pietatis vigilantem promittens se fore spectatorem hoc omni contentione ab iis petit, ut animo bene purgando navent operam, ostendens Vigilias Paschales, illam praeclaram noctem, qua aquis sint fruituri christiferis, suavitatem odoris ferentibus, Christique appellationem accepturi et rerum divinarum efficaciam. Et eximiis elato laudibus baptismo, qui sit captivis redemptio, peccatorum remissio, mors peccati, regeneratio animae, indumentum lucidum, signaculum sanctum et indelebile, vehiculum ad coelum, deliciae paradisi, regni pignus, charisma adoptionis filiorum; ad tantum bonum accedentes esse tamen qui iuxta viam observet transeuntes draconem, qui quum tam multos videat salutem consequentes, quaerere eum quem devoret. Eum igitur esse praetereundum primum „calceatis pedibus in evangelio pacis“ (Eph. 6, 15), ut, etiamsi mordeat, ne laedat tamen. Deinde praeparantibus ad recipiendam doctrinam, ad sanctorum mysteriorum communicationem animos

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

frequentibus instandum precibus, nec die, nec nocte cessandum esse, et simulatque ab oculis somnus recesserit, piae ad Deum orationi vacandum. Si qua turpis cogitatio in mentem ascenderit, assumendam esse iudicii salutarem commemorationem, vel ad discendum mentem esse intendendam, ut obliviscatur rerum turpium. Perorans denique obsecrat auditores, ut aedificium a se susceptum exstruendum ne velint efficere foenum et stipulam et paleas (1. Cor. 3, 12. 13), velint autem opus facere aurum et argentum et lapides pretiosos. Suum esse dicere, audientium autem suscipere propositum, Dei vero perficere.

Et concludit hoc modo: Καὶ ἐξαλείψαι (ὁ Θεὸς) τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον· ἀμνηστίαν δὲ ὑμῖν παράσχοι τῶν πρώτων παραπτωμάτων· φυτεύσοι δὲ ὑμᾶς εἰς τὴν Ἐκκλησίαν, καὶ στρατεύσοι ὑμᾶς ἑαυτῷ, ὅπλα περιβαλὼν τῆς δικαιοσύνης· οὐρανίων δὲ πραγμάτων καινῆς διαθήκης πληρώσειε, καὶ Πνεύματος ἁγίου σφραγῖδα δώῃ ἀνεξάλειπτον εἰς τοὺς αἰῶνας, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

12. His igitur expositis, quibus facile aliquis, qualis illa aetate fuerit catechumenorum conditio, cogitatione sibi depingere possit, de quibus maxime rebus edocti sint illi Cyrilli catechesibus, paucis est dicendum.

Sunt omnino praeter illam, de qua dictum est, procatechesin, numero viginti tres, quarum duplex genus est, unum earum, quae inscribuntur κατηχήσεις τῶν φωτιζομένων, quae quum sint duodeviginti, earum prima est cohortatio, altera est de poenitentia, tertia de baptismo, in quarta proposita doctrinae Christianae summa, reliquis symboli Fidei [1]) per singulos articulos decurrens continetur expositio. Se-

---

[1]) Fuit formula ecclesiae Hierosolymitanae haec: Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων. Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα Θεὸν ἀληθινόν πρὸ πάντων τῶν αἰώνων. Δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τὸν σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα, τὸν σταυρωθέντα καὶ ταφέντα καὶ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ καθίσαντα ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, καὶ ἐρχόμενον ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος. Καὶ εἰς ἓν ἅγιον Πνεῦμα, τὸν παράκλητον, τὸ λαλῆσαν ἐν τοῖς προφήταις, Καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Καὶ εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν, καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. Hanc quidem formulam catechumeni a Cyrillo non semel monentur ut ad verbum ediscant, sed in ipso baptismate adhibebatur alia multo illa brevior, atque adeo omnium, quotquot notae sunt, facile brevissima. Quum enim qui erant baptizandi extensa versus occidentem manu satanae renuntiassent his verbis: ἀποτάσσομαί σοι, σατανᾶ, καὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις σου καὶ πάσῃ τῇ πομπῇ σου καὶ πάσῃ τῇ λατρείᾳ σου: tum conversi ad orientem iubebantur profiteri haec: πιστεύω εἰς τὸν πατέρα καὶ εἰς τὸν υἱὸν καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας (catech. mystag. 1, 9), quae verba patet proxime accedere ad ipsam illam formulam, qua iussi sunt Apo-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quitur alterum genus earum, quae inscribuntur κατηχήσεις μυσταγωγικαί, vel, ut est in aliis libris, λόγοι πρὸς τοὺς νεοφωτίστους, quibus orationibus agitur de mysteriis baptismi (I et II), confirmationis (III), eucharistiae (IV et V). Dictae autem sunt post sacramenta haec sabbato sancto suscepta inde a feria secunda hebdomadis Paschalis quinque continuis diebus. Quae sunt insignes quum multis de sacris ecclesiae caeremoniis ritibusque praeclare dictis, tum vero ob egregia de doctrina catholica testimonia. Imprimisque de augustissimo nostrae religionis sacramento eucharistiae quae sunt orationes duae postremae tam praeclarae sunt, ut, quod quidem huius modi sit argumenti, vix quidquam ex tota antiquitate exstet, quod conferri cum iis possit. Quare quod data hac opportunitate mihi non potuerim temperare, quin totas ascriberem adiecta versione germanica, legentibus hoc programma haud fore ingratum confido.

---

stoli ab ipso Domino hoc sacramentum conferre. Qua re mihi quidem videtur maxime confirmari eorum opinio, qui apostolicum quod dicitur symbolum statuant ex illa formula ortum esse et pro temporum rationibus auctum et amplificatum.